



VANESE
IVS ECCLESIAE
VNIVERSVM
PARS·I·I·I·I·I

BX1935
.E7745
1715
v.1
c.1

J U S
ECCLESIASTICUM

UNIVERSUM
HODIERNÆ DISCIPLINÆ,
PRÆSERTIM
BELGII, GALLIÆ, GERMANIÆ

ET
VICINARUM PROVINCIARUM
ACCOMMODATUM.

Ex ipsis Sacræ Scripturæ Litteris, SS. Canonibus, Conci-
liorum, tum Oecumenicorum, tum Synodaliū Decretis, Pon-
tificum rescriptis, SS. Patrum Sententiis, Principum edictis,
& Magistratū tam Ecclesiastici, quā civilis præjudiciis
variis depromptum.

Omnia ex ipsismet fontibus, Authorum exscriptio neglecta;
reductisque ad Usū quam plurimis vetustate
innumbratis observationibus optimis.

Opus omnibus Episcopis, & eorum Vicariis, Alba-
tibus, singulisque Ecclesiasticis Judicibus, Advocatis, Patronis, Parochis,
Confessariis, cæterisque tam SS. Theologiæ, quā Jurisprudentiæ
studiosis, maxime in materia Canonica, & Praxi Beneficiaria versantibus,
& animarum curatoribus utilissimum, apprimèque necessarium,
faciem ad quoscunque casus etiam abstrusissimos discuti-
endos prælucentis.

AUTHORE ZEGERO
BERNARDO VAN ESPEN

Presbytero J. U. D. SS. Can. Profess. in Academia
Lovaniensi, ~~in Academia Lovaniensi~~

Editio in Germania secunda, Belgicā venustior & Gallici Idiomatis in La-
tinum subjecta versione, ut & Monumentis ab Authore in fine tantum appositis
suis nunc classibus insertis commodior reddita.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus WILHELMI METTERNICH Bibliop
Sub signo Gryphi, ANNO M. D. CC. XV,
Cum Permissu Superiorum.



1080046382



PROLEGOMENA. PARAGRAPHUS PRIMUS De Scopo & Materia Operis.



*I*titulus huic Operi praefixus **JUS ECCLESIASTICUM UNIVERSUM** nonnullis eam posset Ideam imprimere, quasi hoc Opere, omnia quae ad hoc Jus spectant, continerentur; Universumque Jus Ecclesiasticum plenè in eo repraesentaretur, quod sanè non unum alterumve; sed plura eaque prolixa Volumina requireret.

Igitur Opus hoc inscribitur Jus Ecclesiasticum Universum, non quod in eo univèrsa & singula ad Jus istud spectantia contineantur & explanentur, sed quod univèrsa, aut ut minùs praecipua hujus Juris materia eo modo proponantur & exponantur, ut sperem ex Principiis positis ad notitiam hujus Juris Ecclesiastici perveniri posse, atque Dubia & Quaestiones in eo occurrentia dissolvi.

Ut autem totius Juris Ecclesiastici, seu Disciplinæ Canonicae ideam perfectam & plenam Lectori exponerem, Jus pristinum cum recentiore in singulis penè Discipline seu Juris Ecclesiastici punctis ita cumulare studui, ut ex Operis hujus lectione innotescat, quid pristina Ecclesia Discipline statuerit, & quid hodierna circa singulos articulos decernat, aut toleret.

Nec tantùm utrumque Jus Ecclesiasticum, pristinum & hodiernum, simpliciter allegare volui, sed insuper indicare, quando, & qua occasione quibusque gradibus à pristina ad hodiernam Disciplinam descenderimus.

Insuper praxim si-ve Disciplinam hodiernam contra pristinos Patrum mores & Canonum constituta introductam sic repraesentare studui, ut usum legitimum ab abusu separarem; ostendendo qualiter illi nos conformare possimus, hunc verè vitare, aut etiam ei Nos opponere & contradicere subinde debeamus.

Jus Ecclesiasticum si-ve Canonicum affine esse scientiae Theologicae, plurimisque materias utrique esse communes, quin & ex isdem principiis resolvendas, nemo, qui utriusque vel modicam notitiam habet, ignorat.

Hinc jam pridem dicere non dubitavit pius ac doctus Ioannes Gersonius Universitatis Parisiensis Cancellarius in Recommendatione Licentiandorum in Decretis per quadringentos inclusivè annos & ampliùs, sic fuisse gubernatam Ecclesiam, ut non esset distinctio Theologorum & Canonistarum; additque, quod "Canones, si benè inspiciamus, non sint nisi conclusiones elicita vel illata ex Principiis Theologicis, id est, ex Evangelio & aliis libris Canonicis per illos, quibus dicit Christus: Qui vos audit, me audit.

Ut igitur Universum Jus Ecclesiasticum repraesentaretur, necesse fuit, etiam attingere materias, quae primo intuitu ad Theologicam magis, quàm Juris Ecclesiastici scientiam pertinere videntur, puta de Sacramentis in genere & singulis eorum speciebus, indulgentiis, aliisque similibus materiis.

Quis enim nescit, & hisce in materiis, multa ad Disciplinam Ecclesiasticam spectantia esse immixta, quae ex Canonibus, & statutis positivis, non autem è Libris Canonicis aut principiis Theologicis immediatè dependent, aut resolvuntur.

Et nonne Pontifices hasce materias Decretalium libris inferendo, sufficienter ostenderunt, eas non à solis Theologis, sed & Canonistis esse tractandas? scientes, in his plurimùm Juris Ecclesiastici si-ve disciplinæ occurrere; uti & Gersonius notavit, subjiciens exemplum